


05

A

475





5

IN NOMINE JESU!  
**MYSTERIUM**  
**INCARNATIONIS A**  
**FIDELIBUS IN VETERI TESTAMENTO**  
**COGNITUM ATQUE CREDITUM,**

*Quod*  
Disputatione Theologica assertum,  
P R Æ S I D E  
*Viro plurimum Reverendo, Amplissimo & Ex-*  
*cellentissimo*

**DN. JOHANNNE Deutschmann/**  
**SS. Theol. D. ejusdemq; Prof. P. celeberrimo,**  
Alumnorum Electoralium Ephoro, nec non Facult.  
Theol. pro tempore Decano,  
*Domino, Praeceptore & Patrono suo, omni observan-*  
*tia cultu devenerando:*  
*publicè*

A. d. 9. Febr. Anni M. DC. LXIV.

Respondendo tuebitur

**FLORIANUS CELICHIUS,**  
Lubenâ Silesius.

---

WITEBERGÆ,  
*Typis JOHANNIS BORCKARDI.*



05 A 475

IN NOMINE JESU!

MYSTERIUM INCARNATIONIS A FI-  
DELIBUS IN VETERI TESTAMENTO COGNI-  
TUM ATQUE CREDITUM.

P R Æ F A T I O.

**M**Agnum sine controversia pietatis est mysterium, DEUS manifestatus est in carne, dicit Apostolus I. Tim. III, 16. In his Pauli verbis notamus (1) Apostolici pronuntiati subiectum. Eximium oportet esse hujus sermonis subiectum, de quo tanto verborum apparatu Paulus verba facit. Subiectum hoc ipse Deus est. Deus, inquit, manifestatus est in carne. Deus a. ut essentia dicitur unus, ita personis trinus esse perhibetur. Apostolus h. l. non quoad essentiam Deum intelligit, cum Essentia Dei tribus personis sit communis, non uni propria: Una verò tantum persona humane carni fuit unita. Nec essentia divina in se considerata, qua tribus personis competit, illa, quæ recensentur h. l. prædicata conveniunt. Neq; porro per Deum personam Patris hinc Apostolus introducit, cum nullibi Scriptura Patri talem in carne manifestationem tribuat, neq; Patris persone convenit illa in carnem missio, cum Pater à nullo mittatur, sicut à nullo ducit originem. Tandem neq; sub Dei nomine Spiritus S. personam attendit Paulus, cum S. Spiritus incarnatio cunctis hæctenus incognita, nec in S. L. revelata, nec ab Ecclesia fuerit unquam credita. Manet igitur hoc, quod vox Dei Filium hinc notet, secundam Trinitatis personam, qui Filius ab æterno fuit in divinitate, & in tempore factus est filius in humanitate, qui genitus ab æterno ex Patre secundum divinam naturam, & genitus in tempore ex Matre secundum H. N. qui λόγος est; λόγος a. caro factus esse traditur Job. I, 14. (2) Apostolici pronuntiati objectum. Arduum erit hujus sermonis objectum, cum singulari verborum pondere sit revelatum: Magnum, inquit Apostolus, sine controversia pietatis est mysterium: Deus manifestatus est in carne. Non vulgaria, sed singularia, non ubivis obvia, sed quibusvis abdita, non naturæ cognita principia, sed naturæ prorsus abscon-

abscondita mysteria *Paulus* de Deo nostro pronunciat, nim. quod in carne sit manifestatus: ἐφανερώθη h. l. ad ipsam incarnationem respicit, quæ omnium illustrissima Filij Dei φανερώσις est. Apparuit F. D. in V. T. Patriarchis, alijsq; fidelibus, quod arduum & magnum fuit Iphis mysterium, sed longè majus est illud, de quo modò sermo habetur, *Manifestationis l. Apparitionis arcanum*, nim. ipsa *Incarnatio*: illa Patriarchis apparitio contigit in assumpta quadam specie, hæc apparitio fuit in propria carne: illa fuit ad tempus facta, hæc in omnem æternitatem suscepta: illa facta per certam quandam œconomian, hæc per incarnationis summam potentiam: illa per mirabilem assumpti corporis œconomici productionem, hæc per veram ex Maria virgine generationem; illam suscepit ad certam apparitionem, ad certam functionem, hanc verò adsumsit ad æternam unionem & interminabilem officij sui administrationem. (3) *Apostolici pronuntiati statum, l. elogium*. Variis hoc *Mysterium Paulus* ornat encomiis. Vocat n. (1) *Mysterium*, quæ vox significat rem per se arcanam, maximè verò nobis, nostræque rationi absconditam, ita quidem, ut sine peculiari revelatione nulla detur ejus cognitio, omnis ejus negetur perceptio. Est tale *mysterium Incarnatio Filij Dei*, quæ juxta illud *Iustini* dicitur ὑπὲρ ὕψους, ὑπὲρ λόγου, ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν. *Jesu in carne apparitio*, dicit *Dionys. c. 2. de divin. nomin.* Ἐ ineffabilis est sermoni omni, Ἐ omni ignota intelligentiæ, ipsi quoq; *Angelorum primati non cognita*. (2) *Mysterium pietatis*, cum nihil nisi pietatem sapiat, nihil nisi pietatem patriat. Habuerunt gentiles etiam sua mysteria, sed illa sæpius cum impietate fuerunt conjuncta, lucemq; propterea fugere necessum habuerunt; at hoc *incarnationis arcanum non impietatis, sed pietatis, non tenebrarum, sed lucis est mysterium*, & à Prophetis atq; ab Apostolis passim in lucem editum. Dicitur *pietatis mysterium originaliter*, quia *pietatis immensa Patris æterni documentum, & ineffabilis pietatis Filij Dei erga genus humanum argumentum est*: materialiter *pietatis est arcanum*, quia *variæ pietatis & religionis Christianæ capita hoc mysterium complectitur*: formaliter etiam nihil, nisi *pietas est Creatoris in Creaturam, Filij Dei erga lapsum genus humanum, & humanæ carnis in unionem & communionem personæ*

sonæ piissima susceptio: *finaliter* est *mysterium pietatis*, quia veram pietatem erga Deum, verum Dei cultum, veramq; religionem respicit: *fundamentaliter*, quia vera pietas, religio, verusq; cultus, quo verè Deus & religiosè colitur à fidelibus, in hujus mysterij fide potissimum fundatur, quod omnino contra Judæos, Gentiles, Soci-nianos, aliosq; fanaticos & hæreticos notandum. *Athan. t. i. Orat. de Incarnat. Verbi: Incarnationem Verbi Judæi quidem calumniis, Ethnici verò ludibriis insectantur, nos vero adoramus, ut ex humilitate Verbi, qua apparuit, majorem adhuc vehementioremq; pietatem concipias p. 53. Causaliter* deniq; *mysterium pietatis* vocatur, quia veram in nobis efficit pietatem, ut ita incarnationis doctrina sit ipsissima pietatis schola, quæ nos ad verum pietatis studium deducit, illudq; in cordibus nostris accendit. (3) *Mysterium ὁμολογούμεως magnum: Ambrosius reddidit omnium confessione magnum: Erasmus citra controversiam magnum, alij verè, sine dubio, profectò magnum, hoc est mysterium. Magnum a. hoc mysterium cunctis fidelibus. Licet n. veræ pietatis & piæ veritatis osiores hoc mysterium vel penitus rejiciant, vel modis varijs detorqueant, sicut inquit Fulgent. l. i. ad Thrasimundum: Certum est penè omnes hæreticæ pravitatis errores insurrexisse, dum magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, aut sicut est non credunt, aut omnino non credunt; veræ tamen pietatis sectatores & cultores hoc pietatis mysterium omnibus temporibus firmissimâ fide crediderunt. Hoc n. pietatis mysterium non tantum N. T. seculis est revelatum, sed à primis paradisiacæ revelationis temporibus in Ecclesiâ verâ fuit approbatum, & propagatû. Nampij non sunt, qui pietatis potissimum & omnium confessione magnum mysterium ignorant: fideles non sunt, qui veræ fidei vel objectum, vel fundamentum non approbant, & certa fiducia cordibus imperant. Et sanè cum juxtâ Pauli, vel ipsius Spiritus S. ponderosum assertum Incarnationis arcanum sit non tantum pietatis mysterium in se verissimum, sed etiam ὁμολογούμεως, & omnium confessione magnum, nemo fideles V. T. à societate Confessionis hujus excludet. Nam quod omnium fidelium confessione magnum est, illud etiam fidelium V. T. confessione magnum mysterium erit. Non igitur operas, vel horas suas perdunt, quotquot divinas*

prifeorum feculorum pandectas evolvunt, hancece fidelium vel *co-*  
*gnitionem, vel confessionem de Messia incarnatione* repetunt, & *Ca-*  
*tholicam de Incarnatione Fidem* inquirunt. Hoc dum præsentis est  
 instituti, suspirijs ardentissimis ipsum *Christum Incarnatum*, hujus  
 causæ Patronum eligimus, & gratiosissimam *S. Spiritus assistentiam*  
 devotissimis precibus expetimus, ut hæc opella nostra cedat *in Di-*  
*vini Numinis eminentissimam gloriam, Christi Redemptoris plenissi-*  
*mam notitiam, nostrig, pariter adificationem mutuam.* Sed ne tan-  
 tum onus humeris nostris sine methodi vel facilitate, vel felicita-  
 te imponamus, neq; corpus *ἀνέφαλον*, visu facile monstruosum,  
 usu prorsus vacuum, vel auditoribus, vel lectoribus exhibeamus,  
 primùm nostræ *tractationis Inscriptionem*, post hanc futuræ *tracta-*  
*tionis Dispositionem* præmittimus: *Tractatio* nostra dabit *Fidelium*  
*Veterum de Incarnatione Mysteriologian*, h. e. *Mysterium Incarna-*  
*tionis à fidelibus in Vet. Testam. cognitum & creditum.* Hæc sit  
 nostræ *Tractationis inscriptio.* *Dispositionem* quod concernit, *Tres*  
 potissimum in hac tractatione *sectiones* expeditas dabimus, qua-  
 rum I. notabit *Priscæ Mysteriologias de Incarnatione Præcognita.* II.  
*Priscæ Mysteriologias de Incarnatione Capita.* III. *Priscæ Mysteriolo-*  
*gias de incarnatione Hypomnemata: Deus annue cœptis!*

## SECTIO I. DE PRÆCOGNITIS.

**S**icut illi, qui rei gravioris tractationem suscipiunt, per  
 certa quædam *præcognita* causam explicandam adeunt, ut in  
 ipsâ tractatione facilior & felicior sit progressus, ita non im-  
 meritò in *priscâ de Incarnatione Mysteriologia* certa nonnul-  
 la *præcognita* præmittimus. Hæc autem *sectio prima* de *præcogni-*  
*tis tribus subjectionibus* comprehenditur, quarum (1) exhibet *præ-*  
*cognitum Onomatologicum* de nominibus h. l. productis. (2) *præcogni-*  
*tum Pragmatologicum* de re *Mystica*, vel *Incarnatione ipsa.* (3) *præ-*  
*cognitum Ætematologicum* de *postulatis*, vel *hypotesibus*, circa *my-*  
*sterium* hoc occurrentibus.

### Subsectio I. exhibens præcognitum Onomatologicum.

1. Præ-



1. *Præcognitum Onomatologicum naturam propriamq; significationem vocabulorum hac in causa occurrentium proponit, qualia sunt (1) Vox Mysteriorum (2) Vox Incarnationis (3) Vox Fidelium V. T. (4) Vox Cognitionis (5) Vox Credendi: Dicitur n. *Mysterium incarnationis à fidelibus in V. T. cognitum & creditum.**

2. *Vox Mysteriorum quoad originem Græca dicitur. Nam secundum alios dicitur  $\mu\upsilon\sigma\eta\epsilon\iota\omicron\nu$  à  $\mu\upsilon\sigma\omega$ , quod est instituo in sacris, docedo a, quæ ad religionem pertinent. Ab alijs dicitur à verbo  $\mu\upsilon\omega$ , quod propriè est conniveo, niſto, oculos clausos habeo: sed postea ad alia quoq; accommodatur, v. g. os clausum habeo, labia comprimo. Inde  $\mu\upsilon\sigma\eta\varsigma$  deducitur, qui gerit os clausum, nec multa interrogat, vel contra disputat, sed cum silentio audit & discit doctrinam, præsertim Sacrorum, quemadmodum de Pythagoræ discipulis refert Gellius. Postea v. dicitur  $\mu\upsilon\sigma\eta\varsigma$ , qui in sacris instituitur, aut institutus est, quia rerum sacrarum discipuli potius cum reverenti silentio audire & discere, quam ex audace præsumptione contradicere tenentur. Ab hoc  $\mu\upsilon\sigma\eta\varsigma$  descendit nostrum  $\mu\upsilon\sigma\eta\epsilon\iota\omicron\nu$ . Nonnullis Hebræa placet origo nim. à radice  $\text{קִטַּף}$  occultavit. Unde  $\text{קִטְרוֹת}$  vel  $\text{קִטְרוֹת}$  res abscondita, vel secretum. Quoad immediatam tamen significationem & Græcam usurpationem prior deductio convenientior esse videtur.*

3. *Vox a. Mysteriorum non uno eodemq; modo semper adhibetur. Nam (1) Significat arcanum, vel rem arcanam, quam sermone divulgare non licet, cum in alijs, tum maximè in sacris. Tale Mysterium in nomine Jehova Judæi cum alijs quibusdam fingunt. Sic olim Athenis sacra Cereris Eleusinia tam parva, quam magna mysteria vocabantur, eò quod ea divulgare nefas esset. (2) Arcanum, sive  $\alpha\pi\pi\eta\tau\omicron\nu$  tale, quod humana mens plenius intellectu suo non assequi, neq; lingua vel verbis effari potest: sicut multa in Theologia, multa quoq; in Philosophia, & natura  $\alpha\pi\pi\eta\tau\omicron\varsigma$  reperiuntur. (3) Rem religiosè observatam, sicut juramentum etiam olim dicebatur Mysterium apud Herodian. l. 8. Observantes juramentum militare, quod est Romanorum imperij religiosum Sacramentum. Græc. dicitur  $\sigma\epsilon\mu\upsilon\omicron\nu$   $\mu\upsilon\sigma\eta\epsilon\iota\omicron\nu$ . (4) rem occultam, & mysticâ quadam ratione aliquid aliud insinuantem. Ita Eph. V. 31. 32 Conjugium propterea vocatur mysterium, quia mysticam unionem Christi cum Ecclesiâ designat. Hæc signi-*

Significatio etiam in alijs locum habet. (5) Apud *Athenasum* *μυστήριον* dicitur foramen muris *Μαύσεος* / à *μῦς* mus, & *τηρεῖν* servare. (6) Rem humane rationi planè ignotam, & non nisi divinitus revelatam; sic in genere dicuntur omnia divinitus revelata mysteria I. Cor. IV, 1. c. XIII, 2. In specie doctrina Evangelij de Christo *μυστήριον* nuncupatur Rom. XVI, 25. I. Cor. II, 7. Incarnatio Filij Dei I. Tim. III, 16. Prædestinatio Eph. I, 9. mortuorum resurrectio I. Cor. XV, 51. &c.

4. Est a. *Incarnationis Filij Dei* negotium verum *mysterium* (1) *ratione decreti*, quia decretum est ab æterno in consilio Dei, ut in redemptionem humani generis Filius Dei, secunda Trinitatis persona carnem humanam assumeret. Quod a. ab æterno decretum est, illud verum est *mysterium*. (2) *ratione revelationis modi*, quia natura nihil tradit, ratio nostra nihil novit de *Incarnatione Filij Dei*, sed primitus in Paradiso arcanum hoc revelatum, per *Patriarchas* & *prophetas* sæpius iteratum, & tandem in plenitudine temporis consummatum est Gal. IV, 4. (3) *ratione principij*, quia *Deus Trinus* autor est hujus *incarnationis immediatus*. Nam supra naturæ regulas & vias *Filius Dei incarnatus* est, unde nec à natura, neq; secundum naturam fieri potuit *incarnationis* negotium, maximè igitur erit *mysterium*. *Spiritus S.* autor dicitur *conceptionis* Luc. I. 35. quæ penitus *mystica conceptio*, & *mystica dicenda incarnatio*. (4) *ratione Matris*, quia *virgo concepit*, *virgo peperit*, & in *virginis utero* homo perfectus est formatus, Esa. VII, 14. Matth. I, 23. *Magnum a. mysterium* est supra hominis captum positum, *virginem esse Matrem*. (5) *ratione modi*: quia *magnum* est *pietatis mysterium*, *Deus manifestatus est in carne* I. Tim III, 16. *Magnum* est *mysterium*, quod *Deus & creatura*, quoad unam hypostasim, uniuntur, quod *perfectus Deus, perfectus homo* personam unam constituunt, quod *divina de homine, humana de Deo* verificantur & prædicantur. (6) *ratione fidei*: quia noster intellectus *incarnationem Domini* cognoscere, vel intelligere nequit: sed *sola fide* homo fidelis eandem percipit. Manet igitur, quod *Incarnatio Domini verum sit fidei mysterium*.

5. II. Vox *Incarnationis* non est *Biblica*, sed *Ecclesiastica*, satis *emphaticis tamen verbis & phrasibus* in S. L. designata, sicut *Job*  
I, 14.

I, 14. *Verbum caro factum esse* perhibetur, & *Deus in carne* dicitur *manifestatus* I. Tim. III, 16. illa n. *Φανέρωσις ἐν σαρκὶ* nihil aliud est, quam ipsa *ἐνοσίρκωσις*, vel *incarnatio*: Dicitur *ἔλθωσις ἐν σαρκὶ* I. Job. IV, 2. 3. *adventus in carnem*, ita quidem ut *ἔρχεσθαι ἐν σαρκὶ* pariter nihil aliud, quam *incarnationis mysterium* inferat.

6. Dicitur *ἐνοσίρκωσις*, non v. *ὑποσύρκωσις*, quasi filius Dei tantum *sub carne* latuerit, non a. *hypostatica appropriatione carnem* intimè adsumserit: neq; dicitur *παροσσύρκωσις*, quasi Filius Dei tantum *ad carnem* accesserit, non a. in carne ipsa *manifestatus* sit: neque *ἐπισύρκωσις*, quasi tantum *supra carnem* venerit, & sua *presentia carnem* conservarit & sustentarit. Omnia n. hæc nomina sunt à *Mysterio incarnationis* aliena.

7. *Ἐνοσίρκωσις* a. illa, vel *incarnatio* duplicem induit respectum, alium *respectu cause efficientis*, & *totius S. S. Trinitatis*, quatenus *actionem totius S. S. Trinitatis* notat circa hoc *mysterium*: cum enim sit *opus ad extra*, ideo *mysterium incarnationis*, quoad *efficientiam*, *toti S. S. Trinitati* commune, juxta illud *Luc. 1, 35*. alium v. respectum induit *ratione ipsius personæ*, carnem nostram *assumentis*: ita non *Patri*, non *Spiritui S.* sed *soli λόγῳ* comperit, quia neq; *Pater*, neque *Spiritus S.* sed *solus λόγος caro factus est* Job. I, 14. Ab alijs dicitur, quod *Incarnatio passivè soli λόγῳ*, *activè Toti Trinitati* competat.

8. Deinde *vox incarnationis* h. l. non sumitur *in sensu exclusivo* & *Sociniano*, quasi *Christus una tantum constet natura*, humanâ, vid. adeoq; *in carnē venire idem sit, quod nasci*, sicut à *Socinianis* hæc explicatio non rarò adducitur: sed *in sensu inclusivo* & *orthodoxo*, quia *Filius Dei*, ceu *verus Deus*, *in plenitudine temporis dicitur in carnem missus*, Gal IV, 4. & *in carne manifestatus* I. Tim. III, 16. ita quidem, ut *sicut pueri communicant carni & sanguini*, sic ipse quoque *participarit iisdem* Heb. II, 14.

9. Respicit a. hæc vox (1) *Naturam assumentem*, dum *Filius Dei* *præexistens incarnatus esse*, nostramq; *naturam assumpsisse* perhibetur, quia *venire in carnem* *presupponit existentiam ejus*, qui dicitur *in carnem venire*. (2) *Naturam assumptam*, nim. *Humanam*, utpote quæ per carnem intelligitur, quando *Deus incarnatus esse* statuitur. (3) *Unionem hypostaticam*, dum propterea *Filius Dei* dicitur

B

tur

tur incarnatus, quia post factam incarnationem neq; sola divina, neq; sola humana natura perfectam incarnati personam constituit. Nam uti sine divinitate Redemptor noster non est tota persona, ita post factam incarnationem sine humanitate non est totus Christus. (4) περιχώρησιν *mutuam*, propter quam *Homo Mariae Filius* verè subsistit in λόγῳ, & λόγος cum omni Deitatis plenitudine habitat in Christo secundum H. N. tanquam in proprio suo templo *Col. II, 9.*

10. III. Per *fideles* h. l. non intelligimus *fideles* (1) juxta *fidelitatem moralem*, quæ laude digna censetur apud homines, cum iustitiæ moralis vel gradus, vel species apud Ethicos ipsa dicatur. (2) neq; juxta *Politicam*, quæ locum in civilibus promissis, contractibus & pactis habere debet. (3) neq; juxta *fidelitatem naturalem*, quæ naturæ legem respicit, & ex hac immediatè proficiscitur. Talis n. fidelitas omnibus hominibus potest esse communis, sive vivant intra, sive extra Ecclesiam, sive sint cum Christo, sive sine Christo, Christi q; notitia vivant, sive Christiani sint, sive Gentiles & Judæi. (4) Sed intelligimus eos juxta *fidelitatem Theologicam*, qualis in Theologia juxta Scripturam potissimum requiritur.

II. Hæc v. *Theologorum fidelitas* dicitur alia *legalis*, quæ ex operibus æstimatur, & in lege ab omnibus hominibus postulatur: alia *Evangelica*, quæ firmis divinæ gratiæ promissionibus nititur, & solum *fidelibus* competere dicitur. Unde *fideles* illos vocamus, quotquot ex divinis revelationibus certò divinas promissiones agnoscunt, assensu firmo easdem apprehendunt, & fiduciâ plenâ in ijs acquiescunt. Nam ut habet *B. Luth. in c. 12. Gen. Promissio & fides NATURALITER & INSEPARABILITER coherent. Quorum n. attinet promittere aliquid, si non adsit, qui credat? contra quid profuerit fides, si desit promissio. Relativa igitur sunt Promissio & Fides. Promissio vero spiritualis est, quæ fideles constituit, eaq; Christum includit. Nam promissio de Christo capitalis, fundamentalis, principalis, & universalis est post lapsum, tum quia caput & initium omnium promissionum, tum quia fundamentum omnium promissionum, tum quia principaliter & κατ' ἐξοχήν est Promissio, tum quia temporum omnium, locorum omnium, fidelium*

lium omnium, bonorum omnium, quoad collationem, malorum omnium, quoad averſionem, Errant igitur *Sociniani*, qui fideles nō ex *Evangelij doctrinā*, ſed ex *legis regulā* deſcribunt. *Volkel. l. 2. de Vera Relig. c. 7. p. 11. Fideles eos omnes nominamus, qui jam inde à mundi primordiis ad hæc uſq; tempora Dei ſtudio incenſi, virtutem, fidem, juſtitiāq; coluerunt, & etiā nū in vera pietate ſeſe exercent* Rejicimus etiā illud *Scholasticorum commentum*; qui fideles non ex *Evangelij promiſſionibus* deſiniunt: ſed homines ante *Moſen* ex *lege natura*, ſub *Moſe* & poſt *Moſen* ex *lege Moſaica*, in *N. T.* verò ex *Evangelicā*, vel *Chriſti lege* fideles extitiſſe, & ſalvatos eſſe nugantur. *Una fides eſt, Eph. IV, 5.* eadem igitur fide *V. & N. T.* ſancti fideles æſtimandi ſunt.

12. Sunt a. *fideles*, pro *temporis, teſtamentorumq; diverſitate*, alij *V.* alij *N. T.* Illi dicuntur, qui vixerunt ante *Chriſtum incarnatum*, & in eum, ceu exhibendum, crediderunt, ejuſq; incarnationem, ceu futuram, firma fide apprehenderunt: *hi v.* dicuntur illi, quotquot vel in diebus carnis cum *Chriſto* vixerunt, eum præſentem oculis corporeis viderunt, & firmā fide in eum crediderunt: vel etiā *Chriſtum* oculis externis non viderunt, ſed tamen interno fidei oculo eum poſt aſcenſionem *Chriſti* reſpexerunt, ſecundum illud *Job. XX, 29. Beati ſunt, qui non vident, & tamen credunt.*

13. Differunt a. *fideles V. & N. T.* (1) *ratione temporis*, quia *V. T.* fideles primis & antiquiſſimis ſeculis Deum verā fide coluerunt & veram *Meſſiæ* incarnationem crediderunt; *N. T. v.* fideles ultimiſ temporibus veræ fidei cultores extiterunt, & adhuc exiſtunt. (2) *ratione fæderis*, quia *V. T.* fideles fæderis typos habuerunt, & in typis *Dominū* ipſum coluerunt; ſed fideles *N. T.* ceſſantibus typis *Antitypum* ipſum acceperunt, & verā fide in eum crediderunt. (3) *ratione circumſtantie Mediatoris*; licet n. omnes in unum crediderint *Meſſiam* & *Mediatorem*, illi tamen in futurum & exhibendum, *hi v.* in præſentem & exhibitum fidem ſuam direxerunt. (4) *ratione gentis, vel certæ ſucceſſionis*, quia fideles reſpectu *V. T.* certam in *Patriarcharum* gente conjunctionem & ſucceſſionem habuerunt: fideles *N. T.* ex omnibus gentibus colliguntur, quam differentiam *Eccleſiæ V. & N. T.* *B. Luth. in c. XI. Gen.* ſequentibus

exponit: Ne putaremus, tantum licuisse Satanae ut lumen verbi tanquam solem e mundo penitus tolleret, & Ecclesiam opprimeret, generatio sanctorum Patrum ideo proposita est, ut cerneremus Dei misericordia servatas reliquias, & Ecclesiam non esse funditus extinctam. Sic post Seth fuerunt reliquiae Ecclesiae, Methusalab & Noah cum sua familia. Post diluuium, cum subito impia Ham posteritas crevisset, & omnia impleteret scandalis, Noah cum filio Sem & Nepotibus gubernavit Ecclesiam. Ut appareat articulum fidei nostrae verum esse, quod credimus unam, sanctam, & catholicam Ecclesiam omnibus seculis a principio mundi usque in finem mundi. Semper enim reservavit Deus sibi populum, qui retineret verbum, & in mundo, tanquam custos esset religionis & sanae doctrinae, ne omnia degenerarent in impietatem, & notitia Dei nulla esset inter homines. Igitur hic Patrum catalogus, docet nos de principali loco, quod Deus nunquam Ecclesiam penitus deseruerit, etsi aliis temporibus copiosior, aliis tenuior fuerit. Sicut etiam doctrina aliis temporibus purior, aliis obscurior est. Haec spe nos quoque sustentemus in tanta mundi & adversariorum verbi calamitate. Sicut Christus quoque nos consolatur, futurum, ut propter pios abbrevientur dies novissimi temporis, ut scilicet Ecclesia conservetur, & Antichristus non involvat omnia erroribus & mendaciis. Hi igitur Nepotes Sem fuerunt, haeredes promissionis de Christo, quos Deus conservatos & defensos voluit, ut existerent persona, apud quas inveniretur Ecclesia, seu verbum. Nam haec separari non possunt, ubi est verbum, ibi est Ecclesia, ibi est Spiritus, ibi Christus, & omnia. Quantumvis impie reclamet Papa, & neget Ecclesiam esse, ubi ipse non sit caput. Ac Patres habuerunt carnalem successionem, sicut etiam postea in lege carnalis successio erat in sacerdotio. Sed in novo Testamento nulla talis carnalis successio. Non enim Christus genuit filios carnales, igitur Ecclesia loco & personis vaga, tantum ibi est, ubi est verbum. Ubi verbum non est, etsi ibi sint tituli & officium, non tamen ibi est Ecclesia, quia neque Deus ibi est.

14. Conveniunt a. V. & N. T. fideles (1) ratione gratiae, quia eadem gratia Domini nostri Jesu Christi salvantur fideles N. T. qua fuerunt salvati fideles in V. T. Act. XV, ii. (2) ratione Messiae, quia omnes crediderunt, & adhuc credunt in unum eundemque Messiam,  
cum

cum *Christus idem sit heri & hodie, idem & in secula Hebr. XIII, 3.*  
(3) *ratione doctrinae*, quia eadem doctrina, divinitus patefacta, fidelibus in V. & N. T. salutem obtulit, licet magis magisque fuerit illustrata, quoad *substantiam* eadem semper fuit, quoad *circumstantias* varias accessiones accepit. (4) *ratione fidei*, quia eadem fides fuit in V. T. cum fide N. T. sicut prolixo catalogo *Hebr. XI. fides Veteris & N. T. identitas* ostenditur. Vid. *B. Luther. t. 4. l. p. 65.*

15. De fidelibus V. T. h. l. potissimum solliciti sumus, non ex quadam levitate, quasi nulla nobis sit propriae fidei cura: nec ex ulla temeritate, quod ausu temerario quicquam, sine sacris instrumentis & antiquissimis divini Mosis, aliorumque Prophetarum historijs de fidelibus V. T. definire velimus: nec ex illicita curiositate, quasi curiosius sine verbo singula perquirere, vel scrupulosius omnia recensere velimus: nostra siquidem limitibus Scripturae tractatio prorsus erit circumscripta.

16. Sed potius, ut constet de *fidei salvifica circa Messiam incarnatione unitate*, quae sola salutis est causa: ut certi simus de *fidei Christianae antiquitate*, quae temporibus antiquissimis à fidelibus V. T. culta sit: ut informemur de *fidei nostrae universalitate*, quod omnes omnium temporum fideles non aliam, quam nostram fide sint salvati: ut denique firmissimi simus de *nostra cum antiquissimis Patribus, in fidei veritate & incarnationis certitudine, divina conformitate*. Haec & alia nos excitant ad *Veterum de Incarnatione fidem inquirendam*.

17. Unicum adhuc subjungimus, quod per *fideles V. T. h. l.* non intelligamus tantum (1) *solos Patriarchos, vel summos sacerdotes* qui reliquis sacerdotali quadam dignitate praefuerunt. (2) neque *solos Prophetas*, qui summa fidei mysteria ex immediato Spiritus S. afflatu didicerunt. (3) neque *viros alios ἑσπέρεις*, qui ob extraordinariam revelationem peculiare & particulare habuerunt prerogativas praeter alijs fidelibus, & mysterium incarnationis sublimiori modo, quam communis V. T. fides id exigebat, etiam tum temporis cognoverunt. (4) Neque tamen propterea *promiscue omnes intelligimus Iudaeos, vel externam professionem caeteribus piorum addictos*. *B. Luth. Comm. super Ps. XC. p. 14. T. 3. W. L. Quod ad hunc modum docet (Moses) expectandam salutem aeternam per Deum,*

occultè ostendit, DEUM incarnandum esse. Id si Judæi non omnes intellexerunt, quid ad nos? tamen ne hodie quidem omnes religionem nostram aut norunt, aut curant. Sicut itaq; apud nos etiam multi, qui Psalmum hunc canunt, non tamen eum intelligunt: ita sub lege tantum Spirituales hæc mysteria obscure ostensa viderunt & intellexerunt. Quod Deus, quem ipsi colebant in tabernaculo, & credebant habitare in propitiatorio, suo tempore esset incarnandus, & salutem hanc allaturus hominibus, contra iram Dei & mortem æternam. Alij tanquam porci tantum fuere intenti in voluptates suas & temporales curas. Sicut multi hodie Evangelio abutuntur, quasi omnia sint in temporalibus posita. Sed nos decet expectare aliam vitam, & regnum aliud, quod Moses hinc significat esse regnum æternum. Ac sine dubio cum hunc versum scriberet, vidit mysterium salutis nostræ, & vitæ æternæ aliquem gustum habuit, siquidem terribis peccatis suis ad hunc modum orare & sperare salutem docet. Conf. l. d. p. 568. f. 2. Sed (5) per fideles in genere significamus eos, qui non nominatenus Israelitæ fuerunt, vel fideles tantum externo statu appellati sunt, sed quotquot verâ professione, sincerâq; confessione fideles extiterunt, in verum DEUM firma fide crediderunt, qui non est alius, quam P. F. & Spiritus S. & in futurum Mundi Messiam anxio desiderio respexerunt. Nam fides de Messia Catholica pertinet ad quosvis Vet. Test. fideles.

18. IV. Vox *Cognitionis* h. l. non notat notitiam aliquam naturalem, quæ vel ex *naturæ documentis*, vel ex *rationis argumentis* deducta sit: Sed verè notat notitiam aliquam *supernaturalem*, quam fideles ex divina revelatione possederunt, sicut adhuc hodie Christianorum de Messia *cognitio supernaturalis est*. Ubi tamen notandum, quod *cognitio illa supernaturalis* vel sit *immediata*, quæ *immediatè à Deo*, Deiq; *extraordinaria revelatione*, proficiscitur. Sicut F. D. protoplastis nostris in paradiso *Mysterium incarnationis* *immediatè revelavit Gen. III, 15*. Sicut etiam alijs *Patriarchis*, *Prophetis*, *virisq; Dei singularibus*, *immediatâ Dei inspiratione exornatis*, *mysterium hoc incarnationis* varijs modis fuit manifestatum: Vel *mediata*, quæ partim per *antea datas revelationes*, partim per *patriarchales, propheticas & ministeriales revelationum divinarum explicata*.



plitationes viguit in Ecclesia, fidelibusq; cunctis verè communis extitit: *hec illam præsupponit, sed non prior verùm posterior* omnibus fidelibus, communis fuit: quia statuere *fidelem sine Messia, & Messiaq; notitiâ*, nihil aliud est, quàm statuere *fidelem non fidelem, fidelem sine fide, fidem correlativam, sine proprio correlato, vel proprio, atq; necessario objecto.*

19. Porro *cognitio h. l. non intelligitur circumstantialis, quæ circumstantias loci, temporis, modi, vel alios respectus speciales, concernat: cum certum sit, tales circumstantias non plenè, neq; planè fuisse in V. T. revelatas, sed temporis successu magis magisque lucem accepisse, donec ipsum incarnationis negotium in plenitudine temporis consummatum est. Harum n. circumstantiarum respectu rectissimè V. T. nocti, Novum v. diei comparatur Rom. XIII, 12. Sed intelligitur cognitio substantialis, quæ respiciat ipsam incarnationis causam, vel ipsam Messie incarnandi substantiam: talis cognitio nullo modo fidelibus in V. T. deneganda, quia si fuissent absq; Messia, vel Christo, sine dubio etiam fuissent absq; Deo, quod de Gentilibus non obscure dicitur Eph. II, 12.*

20. Deniq; *Cognitio. h. l. non intelligitur implicita, quæ respiciat vel Ecclesiam N. T. quasi Ecclesie N. T. cives explicitè credant incarnationem Christi, V. T. fideles tantum implicitè mysterium incarnationis crediderint: nam Eadem fuit fides veterum fidelium cum fide Christianorum, cum una tantum sit fides Eph. IV, 5. Vel quod respiciat totam Ecclesiam, & laici fideles fide totius Ecclesie salvati sint: Non n. communis omnium fides salvat, sed ea, quæ singulis propria dicitur, sicut nec in N. T. carbonaria fides totius Ecclesie cuiquam prodesse potest: Vel quod respiciat fidem prophetarum, & Sacerdotum, quasi fideles auditores fide suorum Doctorum crediderint, adeoq; nullam distinctam incarnationis notitiam habuerint. Justus n. suâ, non alienâ fide vivit Rom. I, 17. Hab. II, 4. Sed intelligitur cognitio explicita, qua distinctè mysterium incarnationis à fidelibus Veter. Testam. fuit cognitum, ita quidem, ut revera fideles cognoverint, quod Messias sit venturus, quod homo ipse sit futurus, & quod neququam nudus homo sit exiturus, sed quod ipse Deus modo impervestigabili humanam naturam sit assumpturus, sicut Eva Gen. IV, 1. divina humanam, & humanam divinam*

con-

conjungit naturam, summa  $\pi\lambda\eta\epsilon\sigma\Phi\omicron\epsilon\iota\alpha$  exclamans: *Acquisivi  
virum Jehovaham.*

21. V. Verbum *Credendi* varias in Scripturâ *significationes* obtinet *Flacius* in *clavi* observat, quod  $\tau\omicron$  *credere* sumatur (1) *in sensu hu-*  
*mano & communi*, ut idem sit, quod *opinari*: Sic aliqui illud *Pauli*  
exponunt: *Nunc propior est salus, quàm cum credidimus*, h. e. quàm  
cum stultè *opinabamur*, nos operibus legis *salvari posse*. (2) *in*  
*sensu historico*, quatenus *solam generalem notitiam* indicat, quod  
videl. *Deus sit talis*, & quod eo modo velit hominibus esse *propiti-*  
*tus*, quale *credere* *Diabolis* etiam competit *Jac. II. 19.* (3) *in sensu*  
*speciali & proprio*, quatenus *veram fidei conditionem* importat,  
quam non *sola generalis notitia* terminat, sed etiam *specialis appli-*  
*catio & fiducia* nobis commendat, sic passim in *S. L. & h. l.* pariter  
adhibetur.

22. Notanda *h. l. differentia* inter *phrases usitatas* in *Theologiâ*  
& *credendi* verbo derivatas, nim. *credere Deum, credere Deo, credere*  
*in Deum*, quam habet *August. tract. 29. in Job.* *Aliud est credere in*  
*Deum, aliud credere Deum, aliud credere Deo.* *Credere Deo est, cre-*  
*dere vera esse, quæ loquitur, quod etiam mali faciunt, & nos credimus*  
*homini, sed non in hominem, credimus Paulo, sed non in Paulum.*  
*Credere Deum est, credere, quod ipse sit Deus, quod & mali faciunt.*  
*Credere in Deum est, credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei*  
*adherere, & ejus membris incorporari.* Hæc ille. Hæ tres *phrases o-*  
*mnnes* competunt *fidelibus V. T.* quia nihil aliud, quàm *tres vere fidei*  
*gradus* exponunt. Nam *credere Deum notitiam* infert, *credere Deo*  
*assensum* notat, *credere in Deum fiduciam* importat. *Fideles V. T.*  
*crediderunt Deum esse, Deum vera dicere, ideo suam etiam in Deum*  
*fiduciam* collocare voluerunt.

## Subsectio II. exhibens Præcognitum Pragmatologicum,

1. *Pragmatologia* communiter *rem ipsam* proponit, quoad *existen-*  
*tiam & ipsum rei actum*, quoad *essentiam & omnem causarum ambi-*  
*tum, quoad accidentia, omniumq; proprietatum circulum, & quoad*  
*alia*

*a lia circa rem ipsam occurrentia capita.* Et certè, si juxta perfectio-  
nem illustrissimam N. T. *pragmatologiam incarnationis* evolvere  
foret animus, prolixa satis hujus subsectionis tractatio nobis con-  
tingeret. Nunc a. cum ad *piorum V. T. fidem* respiciamus, exiguo  
tractationis circulo tota *pragmatologia* concludenda nobis erit, ne  
Vet. Test. limites, & *cognitionis atq; revelationis terminos* transilire  
videamur.

2. Ad *pragmatologiam Incarnationis*, juxta T. V. *œconomiam* con-  
sideratam, referimus (1) *Incarnationis Existentiam*, seu *questionem*  
*An sit*, & asserimus *V. T. fideles Incarnationis Messia existentiam re-*  
*verà cognovisse & credidisse.* Probamus hoc (1) *ex divina revela-*  
*tione.* Nam *divine revelationis norma* etiã *mensura* fidelium, quoad  
*cognitionem & fidem*: prout enim DEUS mysteria sua revela-  
vit, ita pijs veteres firmã fide mysteria cognoverunt, & crediderunt.  
At Deus Gen. III, 15. *mysterium incarnationis* revelavit, sicut è seq.  
constabit. Nihil igitur aliud inde colligitur, quàm quod *fideles*  
*peteres mysterij hujus existentiam* cognoverint & crediderint. (2) Ex  
*Eve exclamatione* Gen. IV, 1. Cum n. illa suum peperisset primoge-  
nitum *Cainum*, statim exclamavit: *Acquisivi virum Dominum*, h. e.  
*Mundi Messiam*, verum hominem & verum Deum, per hanc nati-  
vitatem. Existimavit igitur pia Mater jam tum venisse tempus illud  
*incarnationis*, in quò licet falsa fuerit, ipsum tamen incarnandì  
*Messia adventum*, & *incarnationem* verè credidit. (3) *ex univer-*  
*sali Veterum expectatione.* Communis enim illa pijs veteribus  
Spes erat, quã *Messiam & liberatorem* totius humani generis, ceu  
*Goëlem & consanguineum* expectabant, sicut universa V. T. scripta  
testantur: nihil igitur illi verius & firmiter, quam futuram *Messia*  
*incarnationem*, cognoverunt & crediderunt. (4) *ex hujus dogma-*  
*tis qualitate*: quia dogma de *incarnatione* cognitu & creditu ad sa-  
lutem necessarium est, cum non in alio, quàm *Messia nomine*, detur  
ulli salus, vel antea data sit Act. IV, 12. *Messia* propterea incarnatio-  
nem fideles prisca fœderis absq; dubio firmissimã fide crediderunt.  
(4) *Ex summaria totius Geneseos consideratione.* Moses inquit B. Luth.  
t. 3. Lat. Witt, p. 2. fac. 2. in primo suo libro docet creationem omnium  
*rerum, quæ sunt, & unde peccatum, unde mors originem suam duxerint,*

G

nempe

nempe ex Adæ, per Satanam decepti, lapsu: atq; hæc quidem potissimum causa fuit scribendi primi hujus libri. Statim autem, priusquam leges condant, docet, unde ventura esset salus, qua peccatum ac mors tolleretur, non legibus (neq; enim tum datæ erant leges) nec operibus, sed per Christum, per Semen illud mulieris, Adæ & Abrahamo promissum, ut **ita FIDES IN CHRISTUM PER TOTAM SCRIPTURAM**, a principio ad finem usq; omnibus operibus, legibus ac meritis humanis præferatur. In primo igitur Mosis libro haud fere aliud videtis, quam exempla fidei & incredulitatis, item fructum fidei & incredulitatis. Est igitur primus hic liber valde Evangelicus: Argumenta nunc alia dimittimus, & ex his cognitam esse Incarnationis existentiam colligimus.

3. (2) *Incarnationis essentiam.* Nam cum incarnationis dogma, substantialiter consideratum, verissimum articulum fidei constituat, omnes omnium temporum fideles illud in se, & quoad substantiam, cognoverunt. Dogma vero illud, quoad substantiam consideratum, causas complectitur. Unde notamus (1) *Causam Incarnationis efficientem*, quæ verus DEUS est. Deum enim fore incarnationis efficientem cognoverunt V. T. fideles (1) *Ex divinâ promissione*, quia Deus semen mulieris, adeoq; Messiam incarnandum promiserat; omnes autem promissiones Dei sunt in ipso Amen II. Cor. I, 20. sicut alias etiam in humanis valet: *Omne promissum cadit in debitum.* Hanc promissionem quia noverant fideles ex Gen. III, 15. ideo Deum etiam, ceu causam incarnationis, fide plenissima respicere poterant. (2) *ex incarnati, vel incarnandi consideratione.* Noverant fideles Deum ipsum Mediatorem & hominem futurum, filium Dei nostram carnem assumpturum; cum autem nulla creatura in Deum habeat ullam potestatem, vel ullam sibi possit in eundem arrogare actionem, ideo sciebant, Deum ipsum hujus incarnationis autorem esse futurum. (3) *ex incarnationis conditione.* Nam incarnatio hæc erat *mysterium fidei*, supra rationem omnem positum: nulla vero creatura mysteria fidei potest vel erigere, vel dirigere principaliter, unde non incertum erat, solum Deum esse, vel fore causam incarnationis. (4) *ex incarnationis fine*, qui non erat alius, quam *reconciliatio generis humani*, ejusq; in integrum restitutio

tutio: hæc vero nulli creaturæ possibilis erat, cum nulla vel tum, vel unquam reperta sit, quæ infinitam iram Dei placare potuerit. Ex his & alijs patescit, fideles optimè cognovisse, *causam efficientem incarnationis solum Deum futurum esse.*

4. (II) *Causam Materialem incarnationis duas in CHRISTO, vel Messia, naturas respicere, certissimum, quia λόγος carnem humanam in personæ suæ participationem adsumsit, & humana natura in hypostaseos divinæ societatem pervenit. Causam igitur incarnationis materialem appellamus eam, ex quâ constat incarnati Messia persona; hæc a. materialis causa non sola est divina natura, neque sola humana, sed utraq; divina & humana. Utramq; naturam, cum Messia propriam, fideles V. T. cognoverunt & crediderunt (1) Ex divinâ manifestatione, quia Gen. III, 15. in gratiosissimo Dei promisso dicitur, quod semen mulieris caput serpentis contritutum sit. Subjectum, semen mulieris, apertis verbis humanam N. ostendit, quam proinde fideles ex hoc dicto cognoverunt & crediderunt. Prædicatum, conterere caput serpentis, est divinæ virtutis, siquidem in hoc apparuit F. D. ut dissolveret opera diaboli I. Job. III, 8. omnis autem divina virtus & effectus divinus Naturam divinam præsupponit, cum divina virtus sit essentiæ divinæ attributum, effectus divinus verò sit essentiæ divinæ opus. Certò igitur hinc fideles divinam Messia naturam cognoscere potuerunt. (2) Ex primâ Confessione. Fidelis illa primæ Matris confessio Gen. IV, 1. & satis plena materia incarnationis definitio. Dicit illa: *Acquisivi virum Jehovam: Virum* eum appellat propter H. N. quia *Messias verus homo* futurus erat: *Jehovam* ipsum vocat, quia *verus Deus* esse debebat, siquidem solus homo totum genus humanum ab omnibus hostibus spiritualibus redimere non poterat. *Messia* igitur *Humanam & Divinam Naturam* Eva cognoscebat, & cum eâ omnes fideles utramq; naturam piè crediderunt. (3) *Ex operis Mediatorij consideratione*: Mediatorium enim opus homo solus expedire non poterat, solus Deus non debebat: ut igitur deberet & posset, idcò *Messiam, & Deum & hominem*, fideles expectabant. Nemo siquidem judicet, *V. T. fideles* adeò minimè fuisse de salute suâ sollicitos, ut neq; divinæ iræ infinitatem, neq; peccatorum nostrorum atrocitatem, vel alia fidei corde considerarint, adeoq; *Messia* per-*

sonam inficitia turpi penitus ignorarint. Contrarium nobis de  
priscâ pietate & fideli sedulitate veterum S. L. proponunt. (4) Ex per-  
petuâ Scripturâ declaratione. Talis enim *Messias* nobis in Scrip-  
turis historicis, Psalmodicis, paræneticis & prophetis V. T. passim  
exhibetur, qui non tantum nudus homo, sed etiam verus *DEUS* sit:  
neq; solum *Deus*, sed etiam verus homo. Unde rectissimè scribit *B.*  
*Luth. Comm. super Gen. XII.* Nunc sequitur illa aureis literis scriben-  
da, & omnium linguis celebranda promissio, quæ æternos thesauros of-  
fert (Et benedicentur in te omnes familiæ terræ). Non enim potest  
intelligi corporaliter, quod, sicut superiores benedictiones, in hoc tan-  
tum populo mansura sit. Si autem, ut verba clare probant, effunden-  
da hæc promissio est in omnes gentes, seu familias terræ, quem dicemus  
alium hanc benedictionem in omnes gentes distribuisse, præter Filium  
Dei, Dominum nostrum *Jesum Christum*. Sententia igitur simplex  
vera & invertebilis hæc est: Audi *Abraham*, magnificè promisit tibi &  
posteritati tuæ, sed hoc nondum satis est, etiam tali te benedictione or-  
nabo, quæ ad omnes familias terræ redundabit &c. Hanc promissio-  
nem *Abraham* pulchrè intellexit: Sic enim ratiocinatus est. Si omnes  
familie terræ per me benedicenda sunt, necesse est hanc benedictionem  
non consistere in mea persona. Ego enim non vivam. Deinde ego per  
me non sum benedictus, sed mihi quoq; contigit benedictio per miseri-  
cordiam Dei. Igitur propter meam personam, vel mea virtute, non  
benedicentur omnes populi. Hoc autem futurum est, ut ex mea poste-  
ritate enascatur, qui per se benedictus afferat benedictionem tam lon-  
gam & latam, quæ ad omnes familias terræ pertingat. Hunc neces-  
se est *DEUM* esse, non *HOMINEM* tantum, quanquã homo futurus, &  
carnem nostram assumpturus sit, ut verè sit semen meum. Ad has sancti  
*Patriarchæ* cogitationes sine dubio respexit *Christus*, cum dicit *Johan.*  
*VIII, 56.* *Abraham* Pater vester exultavit, ut videret diem meum, & vi-  
dit, & gavisus est. Et paulò post: Ex hac promissione fluxerunt omnes  
*Prophetarum* conciones de *Christo* & regno ejus, de remissione pecca-  
torum, de donatione *Spiritus S.* de *Ecclesiæ* Conservatione & guberna-  
tione, de pœnis incredulorum &c. Nam has viderunt consequentias  
inde certè connecti: Si semen *Abrahæ* hoc faciet, necesse est, ut sit na-  
turalis & verus homo: contra si etiam alios, & quidem omnes familias  
terræ benedicet, necesse est, ut etiam majus aliquid sit, quàm semen *A-*  
*brabæ*

*braba. Quia semen Abraha propter peccatam hac benedictione indi-  
get. Ita mysterium Incarnationis Filij Dei in tam brevibus & simplicibus  
verba involvit S. S. quae postea Patriarcha & Propheta in concionibus  
suis latius evolverunt, quod per Filium Dei totus mundus liberandus in-  
fernus & mors destruenda, lex abroganda, peccata condonanda, & eter-  
na salus ac vita gratis credentibus in eum donanda sit. Hic est dies Chri-  
sti, de quo concionatur in Johanne, quem Abraham oculis corporeis non  
vidit, sed vidit Spiritu, & gavisus est. Carni enim haec invisibilia, im-  
possibilia, & idco incredibilia erant. Haec satis clara sunt B. Luth. ver-  
ba, quibus testimonium nobis perhibet, quod Patriarcha & Prophe-  
ta mysterium incarnationis cognoverint, & vera fide crediderint,  
suis etiam concionibus alijs simplicioribus fidelibus illud ad cre-  
dendum exposuerint.*

5. *Causa formalis Incarnationis in personali unione consistit,  
quod nim. duae naturae neutiquam duas personas peculiare, & a  
se invicem distinctas constituent, sed in unitate personae realiter  
& personaliter unitae consistant, & unum Messiam, unamq; Messiae  
personam absolvant. Hanc personalem unionem cognoverunt fi-  
deles prisci foederis (1) Ex unius promissione Gen. III, 15. quia Deus  
Protoplastis non in plurali multa semina, sed in singulari semen tan-  
tum unum promisit. Hanc etiam promissionem unius non semel  
repetijt, ut patet ex promissionibus Abrahae, Isaaco & Jacobo factis,  
quae semper unius tantum seminis mentionem injiciunt, in quo sint  
omnes familiae, vel gentes terrae benedicendae, ut ex Gen. XII, 3. &  
seqq. capp. est manifestum. Qualem autem Deus promisit Messi-  
am, talem etiam V. T. fideles cognoverunt & crediderunt, cum Dei  
promissio sit omnis cognitionis, veraeque fidei fundamentum. (2)  
Ex Evae testificatione: Mulier enim haec, primogenitum suum pa-  
riens, certum de unius Messiae incarnatione nobis testimonium sug-  
gerit: Acquisivi virum Jehovaham. De uno, non de multis loquitur,  
quia natum unum, non plures respiciebat. Confitebatur, eum es-  
se Virum, h. e. verum hominem, testificabatur, eum esse Jehovaham,  
i. e. verum Deum, & tamen virum & Jehovaham, h. e. hominem & De-  
um, unum semen, unum filium, unum populi liberatorem & Messiam,  
unum Christum, unamq; personam assererat. Quod ex Evae verbis  
audimus & discimus, de fidelibus alijs negare non debemus. (3) Ex*

constanti Scripturae V. T. consensione. Quamvis enim tota Scriptura  
V. T. promittat nobis, *Liberatorem Goel & consanguineum, h. e. ve-*  
*rum hominem, semine mulieris* indicatum, item *liberatorem Deum*  
*& Jehovam*, nullibi tamen duos, sed unum ubiq; nobis exhibet, *unum*  
*semen mulieris* Gen. III, 15. *unum semen Abrahæ* c. XII, 3. *unum Goel,*  
*c. XLVIII, 16. unum Schiloh* c. XLIX, 10. *unum Immanuel* Esa. VII, 14.  
*&c.* (4) *Ex Apostolica explanatione.* Quando enim Patribus facta  
promissio de *semine mulieris*, vero simul *Deo*, non aliter hoc illi  
cum alijs fidelibus intellexerunt atq; crediderunt, quàm de *uno se-*  
*mine, vero homine & vero Deo* personaliter, sicut hoc ostendit *Paulus*  
*Gal. III, 16. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus, Non di-*  
*cit: Et seminibus, q. s. in multis, sed quasi in uno, semini tuo, qui est Chri-*  
*stus, nimirum verus Deus & verus homo.* Ex his & alijs firmissimis  
argumentis manifestum, quod pij veteres *personalem unionem* atq;  
*Unitatem* revera cognoverint, & firmâ fide crediderint.

6. *Causa finalis Incarnationis est dissolutio operum Diaboli, ut*  
*ostendit I. Job. III, 8. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolveret*  
*opera Diaboli. &c.* Hæc *operum Diabolicorum dissolutio* duo potis-  
simum includit, nim. 1. *Malorum sublationem*, quod omnia ma-  
la, per Diabolum illata vel collata nobis *Mediator noster* auferre  
debuerit: (2) *Bonorum amissorum restitutionem*, quod omnia bona,  
per Diabolum sublata, nobis restituere, vel de novo quasi confer-  
re voluerit. Utrumq; primorum temporum fideles cognove-  
runt & crediderunt, imò ipsi protoplasti statim in paradiso hanc  
promissionem audiverunt, & certâ *πρόβλεψις* crediderunt. Promitte-  
batur ipsis *serpentini capitis contritio*, per *semē mulieris* futura. Quid  
autem aliud est *capitis serpentini contritio*, quàm *omnium operum*  
*diabolicorum destructio*, & ipsius *Coryphæi subjugatio*, totiusq; *dia-*  
*bolicæ potestatis extirpatio.* Cognoverunt illi, quod *legis commi-*  
*natio, legis accusatio, legis maledictio & condemnatio*, per *semen mu-*  
*lieris* venturum fiat auferendæ: Cognoverunt etiam, quod *Dia-*  
*bolica calliditas, potestas, totumq; ejus constructum regnum*, per *semē*  
*mulieris* sint destruenda: quod *ira loco gratia, pro fuga reditus ad*  
*paradisum & ipsum Deum, pro odio dilectio, pro peccato justitia, pro*  
*penis præmia* nobis concedantur, sicut hæc omnia uberrimè ex  
*historiâ*



historia paradisi ca illustrari possunt. Uno verbo *Reconciliatio* generis humani finis incarnationis Messia, quam omnes cognoverunt fideles, qui sine reconciliationis notitia nunquam Deum accedere, vel auxilium quicquam ab eodem petere tam confidenter ausi fuissent.

7. Hactenus exposuimus, quod *V. T. fideles Incarnationis causas*, cognitae habuerint, nunc ad alia pergendum nobis est in *pragmatologiae ordine, duplicisq; generis consequentia* subjiciemus, nempe *Incarnationis adjuncta, & Incarnationis effecta*, cum ea facile *primaria consequentium capita* constituent.

8. In genere tamen de his non tum volumus, quod cognitionis eorum illustrior longe sit status in Nov. Testam. (1) *ratione multitudinis*, quia longe plures circumstantias post *incarnationis complementum* cognitae habemus, quas *propheti foederis fideles* sub *umbrarum* tempore cognoscere non potuerunt. (2) *ratione plenitudinis*, quia plenius illae *circumstantiae, vel consequentiae* sunt revelatae, per ipsum *incarnationis actum*, quam olim tempore *V. T. fidelibus* innotuerunt. (3) *ratione certitudinis*, quia certissimam habemus omnium circumstantiarum, in *S. Literis Novi Testamenti* nobis expositarum, notitiam, qualem illi certitudinem non habuerunt, nec ex *S. Literis Veteris Testamenti* colligere potuerunt, cum illae potius *substantiam, quam circumstantias incarnationis* exponant atq; respiciant. (4) *ratione claritudinis*. Sicut enim omnia *vaticinia* certa quadam obscuritate ante sui complementum laborant, cum *prophetis in circumstantiarum attributis*, post complementum autem clarius longe patefcunt; ita quoq; *circumstantiae incarnationis*, juxta *Testamenti Veteris aetatem*, obscurius fidelibus cognitae fuerunt.

9. Cognoverunt autem *prophetae veteres* (1) *Incarnationis veritatem*, quod *verissima futura sit incarnatio*, quia *divinitus haec erat promissa*: Dei vero promissiones omnes sunt in ipso *etiam, & in ipso* sunt *Amen II. Cor. I, 20. Promissionem igitur Incarnationis, ex revelato Dei verbo, simpliciter apprehenderunt, atq; constanter vera fide crediderunt.* (2) *Incarnationis Unitatem*, quod una tantum futura sit *Messiae incarnatio*, quia fideles omnes ad unum *mulieris seminem* respicere debebant. *Gen. III, 15. in quo omnes gentes erant benedi-*

medicendæ Gen. XII, 3. Et omnia vaticinia tantum unum Messiam respiciebant. (3) *Incarnationis divinitatem*, quia Deus erat incarnationis efficiens causa ratione prædefinitionis, ratione revelationis, ratione promissionis, ratione executionis. Deus erat ipse Messias, qui homo simul, & Deus futurus erat. Divinus erat modus, quem nemo noverat. Divinus scopus & effectus, quia caput serpentis conterere debebat. Divinissimū in omnibus alijs mysterium hoc erat. (4) *Incarnationis universalitatem*, quod Incarnatio Messie profutura sit omnibus hominibus, quia semen mulieris protoplastis, genitoribus totius humani generis, est promissum, & quia contritionis illius officium, quo serpenti caput conterere volebat Messias, universalissimum totius humani generis beneficium, & quia in eo omnes gentes benedictionem erant consecuturæ. Gen. XII, 3. (5) *Incarnationis præstantiam atq; dignitatem*. Nam eam ex causis maximè perspectam habuerunt, quarum singulæ præstantiam Incarnationis aperiant. Divina prorsus dignitas in his omnibus apparebat. Unde tantopere, quoties ad præstantissimum hoc omnium mysteriorum principium fide respexerunt, in Domino gloriati sunt. Eva statim exclamabat: *Acquisivi Virum Jehovah*, h. e. Capitis serpentini conculcatorem. Jacob, spiritu plenus, ne quidem satis verborum invenire potuit, ut dignitatem hujus mysterij commendaret: *Juda tu es*, inquit, *te laudabunt fratres tui; manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij Patris tui. Catulus leonis Juda, de præda adscendisti, requiescens accubuisti, ut leo, & quasi leona, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, & Legislator de pedibus ejus, donec veniat Siloh, & ipse erit expectatio populorum, ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem filium asinae suæ: lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum; rubicundiores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* (6) *Incarnationis jucunditatem*, quia teste Christo, vehementer exultarunt, ut diem Christi, vel Messie viderent: & quoties spiritu viderunt, valde gavisi sunt Job. III. 56. Quod enim de Patre fidelium Abrahamo dicitur, illud etiam de fidelibus alijs certò colligitur, cum una V. T. fides sit. Et quis gaudium Evæ verbis satis exprimeret, cum plena doloribus & partus angustijs exclamarit præ gaudio nimio cordis: *Acquisivi Virum*

*Virum Jehovam*: Et *Lamech* in meditatione gravissimorum laborum, & dolorum, ipsius etiam maledictionis hujus seculi, constitutus, unice jucundissimum in meditatione Messiae vel incarnationis solatium invenit dicens *Gen. V, 29. Ipse nos consolabitur ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus. (7) Incarnationis utilitatem*, quae statim ex prima revelatione patescit *Gen. III, 15*. Quis enim omne damnum, per imaginis divinae sublationem, & labis originalis instillationem, homini per serpentem illatum, vel universum malum Satanicae potestatis brevioribus verbis exponeret? *fons & origo salutis & felicitatis omnis* post lapsum est ipsum *Mysterium incarnationis*, quod inferius pluribus ex effectis patebit.

10. Praeterea *reperiuntur aliae circumstantiae Incarnationis*, à fidelibus *successu temporis ex revelatione Dei clariori notitia* creditae, sicut magis magisque per *Dei Spiritum* sunt patefactae. Ita revelatae (1) circumstantiae personae, tum ratione sexus, quod *masculino*, non *femino sexu* *Messias* noster sit exhibendus *Gen. III, 15. Gen. IV, 1*. Tum *ratione ortus*, quod *Messias* non ex *virili semine*, sed ex *virgine* sit proditurus. Unde *Gen. III, 15. Semen mulieris*, & *Esa. VII, 14. clarius Virginis Filius* nuncupatur. Huc etiam referunt nonnulli *Gen. XLIX, 10. quod Schilo Filium secundinae & virginis filium* denotet. Tum *ratione ortus per conceptionem & nativitatem* *Esa. VII, 14. ubi utrumque conjungitur, quod virgo conceptura sit & paritura. Conf. Gen. III, 15. c. IV, 1. Jer. XXXI, 22*. Tum ratione status, quod primum *radix Jesse* futurus sit *Esa. XI, 1. postea filius & puer c. IX, 6. denique Vir Gen. IV, 1. licet etiam à primâ conceptione majorem omni virili conditione virtutem possederit, unde primo aspectu Eva Virum* eum appellare non dubitabat.

II. (2) *Circumstantiae Matris*, quod *Messias* non immediatè, per *divinam creationem*, tam *sine Matre*, quam *sine Patre*, carnem sit suscepturus: Sicut *Adam sine Patre & Matre* conditus. Deinde quod non à *solo viro sine Matre* sit proditurus, sicut *Eva* fuit ex *Adami costâ* producta: vocatur enim *semen* non *viri*, sed *mulieris*. Denique quod *sine Patre ex solâ virgine* sit in carnem venturus. Licet n. hoc primis temporibus non adeò certum fuisse videatur, tamen

D

postea

postea clarissimis verbis est revelatum *Esa. VII, 14.* interprete ipso Spiritu S. *Matth. I, 23.*

12. (3) *Circumstantia Majorum.* Nam quod *Messias* ex *Ada* posteritate & *Noe* filijs carnem assumere voluerit, extra dubium apud *V.T.* fideles extitit. Reliquæ *circumstantiæ* pro *œconomia V.T.* magis magisque fuerunt revelatæ. (1) *Ratione gentis*, quod ex posteritate *Semi* carnem sit habiturus *Gen. IX. 26.* (2) *Ratione populi*, quod ex *Hebraorum populo* nobis similis sit futurus, unde dicitur *Semen Abrahæ Gen. XXII, 18. Isaaci c. XXVI, 4. Jacobi c. XXIIIX, 14.* (3) *Ratione Tribus*, quod ex *Tribu Juda Schilo* sit expectandus *c. XLIX, 10.* (4) *Ratione familiæ*, quod ex *familiâ Jesseâ* sit oriundus, unde *radix Jesse* vocatur *Esa. XI, 1.* (5) *Ratione Domus*, quod *filius David* sit futurus *II. Sam. VII, 12.*

13. (4) *Circumstantia loci generalis* ab omnibus fuit cognita, quod non in cœlis, ubi nulla conceptio, nulla nativitas locum habet, sed in terris humanam carnem sibi *Messias* copulaturus sit, quod ex *promissione Dei Gen. III, 15. ex confessione Evæ c. IV, 1. & ex manifesta assertione Lamech c. V. 29.* liquet. Disertis enim verbis *loci, nim. terræ*, mentionem facit. *Hic consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terrâ, cui maledixit Dominus. Speciales autem loci circumstantias* *successu temporis* ex *S. L.* Dei quæ revelatione, fideles didicerunt. Ita *terra Canaan*, ejusque possessio *Abrahæ* promittitur, postea *promissio de Messia* subjungitur *Gen. XII, 1. seq.* Eadem *promissionis* methodus adhibetur *Gen. XXVI, 3. seq.* ubi *promissio seminis* *Isaaco* repetitur, & *c. XXIIIX, 13. seq.* ubi *Jacobo* idem prædicatur. Hæc igitur *specialis est regni, vel regionis determinatio.* Ulterius *Gen. XLIX, 10.* restringitur *loci circumstantia* ad *sortem terræ Juda*, quia de *tribu Juda Schilo* venturus erat. Et cum in *tribu Juda* variæ civitates essent, divina bonitas etiam civitatem nativitatis per *Prophetas* suos revelare voluit *Mich. V, 1.* quæ communis fuit *Judeorum*, de *nativitatis Messia loco*, sententia, sicut ex *synedrio Magnò Sacerdotum*, ab *Herode* conscripto, & ex *unanimitate* ejus consensu colligitur *Matth. II, 5.*

14. (5) *Circumstantia temporis.* Tempus hoc passim in *Prophe-tis*, per *dies novissimos*, indicatur, *Gen. XLIX, 2. & Esa. II, 3.* Ex quibus colligitur, quod *indefinitè* cognoverint fideles *Exhibitionis Messia*  
tempus

tempus, & quod incarnatio Messiae non primis, sed ultimis temporibus ex Dei consilio fieri debuerit, Unde Apostolus hoc exhibiti Messiae tempus plenitudinem temporis appellat Gal. IV, 4. Præterea vero Deus etiam clariùs tempus Messiae adventus definivit, nim. Gen. XLIX, 10. quòd post sublatum sceptrum de tribu Juda, & legislatorem de pedibus ejus summotum, Schilo, b. e. Messias, sit venturus. Daniel etiam c. IX. tempus adventus Messiae definivit v. 24. 25. 26. Conf. Malach. c. III. & IV. Ex horum omnium & aliorum collatione, de Incarnationis tempore fideles V. T. non nihil colligere, & cognoscere potuerunt.

15. Sufficiant hæc modò de Circumstantiis Incarnationis, nunc ad ejus effecta, quæ fuerunt à fidelibus V. T. cognita, progredimur. Non autem omnia gratiosissimæ hujus incarnationis effecta producemus, sed aliqua tantum ex S. Literis Veteris Testamenti describemus. Incarnationis hujus effectum est (1) Conscientia turbata & tranquillatio Gen. III, 15. Quæ post lapsum Adamo fuerit conscientia, facile cognoscitur ex affectuum confusione, ex nuditatis professione, ex imaginis divinæ amissione, ex ira divinæ animadversione, ex pænæ, mortisve temporalis, spiritualis & æternæ, timore, ex fugâ & aliis indicis. Sed accepta promissione de semine mulieris, ejusq; incarnatione, omnia facta sunt in Adamo tranquilla. In eo, scribit inter alia B. Luther. super b. l. sol consolationis, antea quasi tenebris quibusdam caliginosarum nubium involutus, supra nubes attollitur, & jucundissimo lumine territa corda adspicit. Quod Adam & Heva non solum non audiunt, sibi maledici, sicut serpenti, sed quod audiunt, se constitui tanquam in acie contra damnatum hostem, idq; spe auxiliij, quod eis laturus sit filius Dei, Semen mulieris. Hic igitur remissio peccatorum, & plenaria receptio in gratiã, Adæ & Hevæ ostenditur, tanquam absolutis à culpâ, & redemptis à morte, tanquam liberatis jam ex inferno & illis pavoribus, quibus in conspectu Dei tantum non occisi sunt. Hæc consolatio inde nascitur, quod Deus non maledixit Adæ & Hevæ sicut serpenti, hoc tantum sit, quòd Adam & Heva cum hoc hoste committuntur, ne sint ociosi. Ergo hoc ipsum quoq; cedit homini in bonum. Illud autem caput consolationis est, quod etsi hostis hic astutia & dolis pugnet, tamen nasciturum sit Semen, quod caput serpentis conterat.

16. (2) Fidelis Confessio. Nam corde creditur ad justitiam, ore fit

*Confessio ad salutem Rom. X, 10. Quod igitur V. T. fideles corde cre-*  
*diderunt circa mysterium incarnationis, illud fideli confessione ver-*  
*bis exposuerunt. Sicut exemplum apertum occurrit in Evæ con-*  
*fessione, quæ legitur Gen. IV, 1. Acquisivi virum Jehovah. Confitetur*  
*Messiam Jehovah, confitetur ipsum Virum, i. e. hominem & Deum,*  
*in unitate personæ futurum, per veram incarnationem.*

17. (3) *Fiducialis consolatio.* Licet enim maledictio legis omnes  
homines, in terrâ sub peccati iugo jacentes, urgeret, tamen fir-  
ma consolatio manabat ex incarnatione futuri Messia, qua sese mu-  
quò fideles erigebant, animos consternatos reficiebant, & ab omni  
maledictionis onere sese fiducialiter eximebant. Exemplo no-  
bis est *Lamech Gen. V, 29. Iste (Messias suâ incarnatione & adventu*  
*in carnem) consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostra-*  
*rum in terrâ, cui maledixit Deus.*

18. (3) *Universalis benedictio.* Noah enim c. IX, 26. de benedictio  
Domino, Deo Semi, h. e. de vero Messia, vaticinatur, non tam, quòd  
passivè sit benedictus, quàm quòd activè sit omnigenæ, spiritualis po-  
tissimum & æternæ benedictionis fons & origo. De quâ benedictio-  
ne B. Luth. super h. l. *Quæ causa est, quod non dicit, Benedictus Sem,*  
*sed Benedictus Dominus Deus Sem? Respondeo, sit hoc propter excel-*  
*lentem benedictionem. Non enim loquitur hic de corporali benedi-*  
*ctione, sed de benedictione futurâ per semen promissum. Eam tantam*  
*videt esse, ut explicari verbis non possit. Ideo se vertit ad gratiarum*  
*actionem. Ac imitatus hunc ipsum locum videtur Zacharias Luc. I,*  
*cum in eodem argumento dicit: Benedictus Dominus Deus Israel. Ideò*  
*vertit benedictionem in modum gratiarum actionis in ipsum Deum:*  
*Deus, inquit, est benedictus, qui est Deus Sem, q. d. Non est necesse, ut*  
*extendam benedictionem meam super Sem, quia jam ante benedictus*  
*est benedictione spirituali. Jam ante est Dei Filius, & propagabitur*  
*ex eo Ecclesia, sicut ante diluvium ex Seth propagata est. Nam mirè*  
*significans est, quod Deum cum filio suo Sem ita coniungit, & qs. dispon-*  
*sat. Magna igitur lux in corde Noah fuerit necesse est, qui sic discernit*  
*inter filios, Ham cum posteritate sua reprobat, Sem autem ponit ad*  
*lineam Sanctorum & Ecclesiæ, quod super eum benedictio spiritualis, in*  
*Paradiso de semine facta, quietura sit: Ideo enim sanctus vir Deum be-*  
*nedicit*

medicit, & agit ei gratias. Clarius autem Deus ipse Gen. XII, 3. universalem hanc benedictionem omnium populorum per incarnandum Messiam futuram revelavit: In te, dicit, benedicentur universae cognationes terrae: quo nihil clarius dici potuisset, cum in his verbis aperte Messiae tribuatur universalis omnium gentium benedictio.

19. (4) *Spiritualis Exultatio.* Hanc spirituales exultationem, ex divinis Incarnationis promissionibus, corde fidei suscepit Abraham, sicut ipse Christus testatur Job. VIII, 56. Abraham exultavit, ut videret diem meum: quae testificatio omni exceptione major est. In hac verba B. August. tract. XLIII. in Job. ita commentatus: Magnum, ait, testimonium perhibet Abraham Semen Abtae, Creator Abtae: Abraham exultavit, inquit, ut videret diem meum. Non timuit, sed exultavit, ut videret. Erat enim in illo charitas, quae foras mittit timorem. Credens utique exultavit sperando, ut videret intelligendo. Et vidit, & quid potuit plus dicere, & quid debuit plus dicere Dominus Jesus Christus? Et vidit, inquit, & gavisus est. Quis explicat hoc gaudium, fratres mei? Si gavisus sunt illi, quibus Deus oculos carnis aperuit, quale gaudium fuit videntibus cordis oculis lucem ineffabilem, verbum manens, splendorem piis mentibus resurgentem, sapientiam indeficientem, apud patrem manentem Deum, & aliquando in carnem venturum, nec de patris gremio recessurum. Totum hoc Abraham vidit. Et Cyrill. Alexandrin. l. 6. in Job. c. 11. p. 316. Sane vidit diem Domini Abraham, quando in spiritu cognovit Christum ex sua stirpe in carnem nasciturum, quod significabat, cum servo suo Eliezer, quem mittebat ad accipiendam filio suo Isaac uxorem, ait: Pone manum sub femore meo, & iura mihi per Deum caeli. Ergo quae fuit illi iuratio, & quare hoc modo facta, nisi quia significabatur de genere Abtae venturus in carnem Deus caeli. Et paulo post: Erat ille dies Domini, quo carnis nostrae substantiam pro nobis adsumsit. (vid. ibi plura) Quem plerique alij sequuntur, nec immerito, quia Christus ipse testatur Luc. X, 24. Dico vobis: multi Prophetae & Reges voluerunt videre, quae vos videtis, & non viderunt.

20. (5) *Universalis Expectatio.* Nam Gen. XLIX, 11. Jacobus, in agone constitutus, inquit: Et erit expectatio gentium. Cum enim omnes gentes ex divina promissione benedictionem per Messiam expectare deberent, ipsum etiam Messiam expectarunt, qui propterea

non incommodè *Gentium expectatio* nuncupatur. Et licet textus authenticus aliter reddi vel possit, vel debeat, tamen sensus hic alibi demonstratur, quod, *Messias* verè fuerit *expectatio gentium*. Ipse *Jacobus* hoc capite *v* 18. plenâ fiduciâ fertur in hanc *Gentium expectationem* dicens: *Domine expecto Salutare tuum*: quæ verba *Targum Hierosol.* eleganter interpretatur: *Dicit Pater noster Jacob: Non expecto redemptionem Gideonis, filij Joas, quæ est salus temporalis; neq; expecto redemptionem Simonis, quæ est salus transitoria; sed expecto redemptionem Christi, seu Messia Filij David, qui venturus est, ut adducat sibi filios Israel, cujus redemptionem expectat anima mea.* Hic *Messias* etiam *Desiderium gentium omnium* *Hagg. II, 8.* vocatur. *Cant. V, 16.* *Totus ipse desiderio, h. e. desideratissimus Ecclesie Sponsus* dicitur.

21. (6) *Spiritualis fiducia confirmatio.* Talis n. fiducia confirmatio fuit in protoplastis *Gen. III, 15.* quod ex *c. IV, 1.* luculenter apparet. Et quid dicemus de fiducia spiritualis in Abrahamo, Isaaco &c. confirmatione. Sed omnium clarissimè *David* in novissimis verbis hanc suæ fiducia confirmationem nobis exponit. Dum se *Virum* nominat, qui certificatus est de *Messia Dei Jacob*; & in hac sui descriptione vel maximè, vel unicè gloriatur. Hanc gloriationem *Davidis* in spiritualis fiducia, de *Messia*, confirmatione non tam nostris, quam *B. Lutheri* verbis tract. de *Noviss. Verb.* *Davidis* exponemus: *Hic, scribit, David jam sese incipit efferre, ac gloriari novo modo super omnia, sed tamen vere & sine arrogantia. Hic audis Davidem longe alium, quàm illum filium Isai. Hanc gloriam non habet natura & genere, tanquam hereditariam, nec ex domo & ex educatione paterna hausit, neq; suâ virtute, aut industria, sapientia aut potentia regiâ comparavit. Sed eam aliunde habet, vid. de super & divinitus acceptam, unde nisi donecetur, nemo quidquam sibi sumere potest, ut ait Baptista Job. III non propter propriam dignitatem, aut sua merita. Hoc donum letus prædicat, & pro eo beneficio toto pectore laudes canit, & gratias agit DEO. Quid ergo illud rei est, inquis? quæ de re sunt ista gloriæ? primum, inquit, hoc est, Ego sum is, cui Deus certò promisit Messiam seu Christum DEI Jacob, videl. hunc ex me nasciturum esse, seu meo de sanguine,*

ex



ex mea posteritate & domo mea. De eo prorsus certus & confirma-  
tus sum. Non est tantum, quod Deus hoc promisit, qui in Verbo suo  
verax & constans est, & mentiri nescit: Sed etiam quod ego certa  
& firma fide hoc teneo, & securus ac sine dubitatione hac promissione  
nitentor, certus quod hac fiducia non sit me frustratura, itaque magno  
& firmo animo in verbo DEI acquiesco. Hinc perfusus vera letitia  
jam paratus ad obedientiam juxta ipsius voluntatem libens vivam,  
moriar, faciam, patiar omnia, scio jam & certus sum, ubi ego, ubi  
hac vita mansura sit, cui ego hanc animam & hunc Spiritum credi-  
derim. Non errabit tanquam in tenebris incertus & dubitans, nec  
infeliciter discedet ex hoc mortali corpore. Scio n. me habere cer-  
tam DEI promissionem de Messia, & tandem certa & indubitata fide  
teneo. Ebraica vox Hukam, vix à nobis uno verbo reddi potest.  
Constitutum est, inquit Hieronymus, nec longe discedit, significat e-  
nim stabilitum, certificatum, firmatum. Et existimo ad hanc vo-  
cem respicientem allusisse autorem Epistole ad Hebræos, cum ait in de-  
scriptione fidei, fidem esse substantiam (græce hypostasin) hoc est, fir-  
mam & certam fiduciam, seu expectationem, nitentem scilicet verbo,  
tanquam firmo & immoto fundamento. Nam fidem, quæ verè fides  
est, in DEI verbum oportet esse talem firmitatem & stabilitatem ani-  
mi, qui non nutet, non vacillet, non loco moveatur, non trepidet,  
non anxius huc illuc respiciet, sed firmus & constans nitatur certo &  
immoto quasi fundamento (vid. verbo Dei). Eadem vox Ebraica  
est & in dicto Esaia XL. Verbum Domini manet in æternum. Est n.  
primitiva vox Jakom, quasi dicat, Verbum Domini stat, consistit, fir-  
mum, stabile est, non cedit, non nutat, non fluctuat, non fugitat, non la-  
bascit, non frustratur. Quare cum hoc ipsum fide verè apprehendi-  
tur, sit & cor similiter certum, firmum, securum, ut consistat immotum,  
erectum, & invictum, contra quosvis impetus & impressiones tenta-  
tionum, diaboli, mortis, inferorum, quibuscumque oppugnatur, ut ingen-  
ti animo non cedat malis, sed contra audacior eat, perumpat, forti-  
ter contemnens, & velut superbe despiciens quidquid dubitare, trepi-  
dare, angere, aut contra se efferari & hostiliter grassari sentit. Talis est,  
qui hic dicitur, hukam, stabilitus, & quasi dicas, substantiatus, con-  
stantius, certus passivè, id est, certò persuasus, sicut DEI verbum certum  
est

est activè. Talis est & Paulus, cum inquit Rom. II. X. Certus sum, quòd neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; presentia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; ulla alia creatura nos poterit separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu. Et II. Tim. I. Scio cui credidi, & certus sum, quod potens est depositum meum servare. Similiter II. Pet. I. dicitur, Studete firmam facere vocationem vestram. Sic David rectè hic vocatur, Hukam, qui & promissionem certam habet (quæ data est Patriarchæ Jacob Gen. XLIX. Non auferetur Sceptrum à Juda, donec veniat Silob) & ea certâ ac firmâ fide nititur, quod hic Messias certo ex ipsius posteritate nasciturus, & sese exhibiturus esset. Est q; in hoc ipso Davide jam repetita, & multo expressius & illustrius tradita eadem promissio (ut infra dicetur) & ita ad posteritatem natam ex Davide quasi coarctata, ut omissa reliqua stirpe ac familia Juda, ad unam domum seu posteritatem Davidicam respici velit, ac ex ea certo expectari Messiam. Ceterum hic & hoc memineris, hanc firmitatem, quâ David se inquit consistere, seu esse Hukam, maximè ad ipsam promissionem divinam pertinere. Interest enim aliquid inter hujus certitudinem & nostræ fidei, etsi enim necesse est hæc duo conjuncta esse; Nam ubi promissio nulla est, non potest existere fides, & rursus ubi non est fides, ibi & promissio frustra est, tamen nostra fides non semper satis firma est, sed interdum tentationibus oppugnata languidiuscula fit, & propè labascit. Verùm promissio tanquam æternum & immutabile Dei decretum, perpetuo fixa, firma & immota est. Quare præcipuè propter ipsam promissionem, Davidi tribuitur hoc præconium, quod dicitur Hukam, firmus, quia promissionem habet firmam, quam tamen nisi fide apprehendere & tenere non potest, sed fidem accedere necesse est. Hæc B. Lutherus noster. Et plura nunc effecta spiritualia fidelium V. T. producere possemus, in hunc tamen campum sermonem impræsentiarum ulterius dimittere nolumus. Hoc unum saltem adjicimus, tum respectu causarum, tum respectu circumstantiarum, tum respectu effectuum, majorem successu seculorum illuxisse claritatem. Omnia siquidem cum V. & N. Testamènti differentia hic intelligenda sunt, quod etiam B. Lutherus ad Gen. III. observavit: Hanc, scribit, sententiam (de semine mulieris, vel virginis) primum Esaias: ostendit, qui dicit, Virginem parituram. Deinde in N. T. est clarius explicata ab Angelo

gelo. Quare non dubito *Mysterium hoc etiam à multis sanctis non esse intellectum, qui quidem expectaverunt Christum nascendum in hunc modum à femina, & liberaturum humanam genus, sed MODUM NATIVITATIS nesciverunt. Hac GENERALI COGNITIONE contenti fuerunt, & salvati sunt, etiamsi nescirent, QUOMODO concipiendus & nascendus esset. Hoc enim Nov. Testamento, tanquam CLARIORI LUCI reservandum erat, & priori seculo OBSCURIUS proponendum propter Satanam, quem Deus hoc modo ludificari & exercere voluit, ut eo minus esset otiosus, & omnia timeret.*

### Subsectio III. Exhibens præcognitum *Ætemalologicum*, seu postulata, vel hypotheses, quarum usus in hac *mysteriologia Veteri* nobis videtur esse necessarius.

1. Cum hæc doctrina sit nobilissima, quæ de *Mysterio Incarnationis*, à *Fidelibus V. T.* cognito & credito, coelestem veritatem exponit, sua non caret difficultate, certa premitur obscuritate, multaq; dubitatione penitus interdum involvitur.

2. Ut autem eo planior & plenior, eo verior & certior nobis in eodem aperiatur in Domino via, Sacras tantum litetas fidei meditatione respicimus, & certa postulata nostro instituto præmittimus. Sic n. in veritatis tramite pede firmiori progredi poterimus.

3. Præsupponimus (1) Deum esse Unum, personisq; Trinum, Deum P. F. & Spiritum S. eumq; non demum in N. T. fidelibus esse manifestatum, sed etiam olim, ceu Verum Deum Israelis, à V. T. fidelibus esse cognitum & creditum: cum statim *Gen. I, 1. seq. Elohim*, h. e. plurium personarum, fiat mentio, *Dei, seu Patris creantis, Verbi creantis, & Spiritus incubantis*. Nam nisi quis personarum distinctionem & Trinitatem cognoverit, incarnationis cognitionem sibi promittere non poterit.

4. Ex quo sequitur (2) DEUM habere *substantiale VERBUM* vel *Filium*, universi conditorem, & essentiâ sibi ὁμοῶς, personâ verò vel substantia distinctum. Necessum enim est, ut sciamus prius esse *substantiale Dei Verbum*, antequam *incarnationem Verbi* fidei corde suscipiamus,

E

4. (3) Deum

5. (3) Deum essentia Unum, personis Trinum in temporis principio creaturas omnes, & in his etiam *Hominem* summa sapientia, potentia & bonitate produxisse, imaginem suam eidem dedisse, Dominum eum omnium creaturarum constituisse, & certo præcepto ad sui cultum vel obedientiam obstrinxisse. Nam quia *Verbi Dei Incarnatio humana natura existentiam præsupponit*; cum non *Entis* nulla sint conditiones, vel affectiones; ideo incarnationem *Verbi* necessario præcedit *hominis creatio*. Ostendit hoc *Athanas.* t. i. de *Incarn. Verbi*, qui prolixè prius de *creatione hominisq;* ortu disserit, postea *mysterium Incarnationis* exponit; *hujus a. methodi rationem* seqq. reddit: Sed fortassis admireris, cum proposita mentione de incarnatione *Verbi*, nunc de principio *hominum* verba faciamus. Verum id non alienum est à scopo instituta orationis. Neesse est enim nobis differentibus de *Salvatoris nostri ad nos adventu*, etiam differere de *hominum principio*, ut cognoscas, nostram culpam illi dedisse occasionem, ut descenderet, nostramq; prævaricationem *Verbi Dei* humanitatem eliciuisse, ut ad nos contenderet, & inter homines appareret Dominus. Illius enim incorporationis causam dedimus, & ob nostram salutem ita benignus extitit, ut in humano corpore & esse vellet, & appareret.

6. Ex quibus (4) sequitur postulatam, *Hominem in primæ creationis & integritatis, statu non permanfisse, sed turpiter ex seductione serpentis à Deo defecisse, peccatum contraxisse, naturam suam pulcherrimam corrupisse, & in horrendam Dei pœnam incidisse.* B. *Athanas.* idem nobis offert postulatam tum in modò citatis verbis, tum in seqq. Ad istum, inquit, modum Deus hominem fecerat, & in incorruptibilitate perseverare volebat: homines autem contrà, spretà rejectaque Dei cognitione, excogitatis prava sua ratione malis, prædenunciatam mortis condemnationem acceperunt: neq; jam inde (quales conditi) remansere, sed pro ipsorum rationibus cogitationibusq; corruptelam vitiūq; contraherant, & sub mortis imperio detinebantur, eo quod prævaricatio mandati illos ad veterem naturæ conditionem retraheret: ut quemadmodum ex non *Entibus* creati erant, ita essendi perniciem, interitumq; progressu temporis sustinerent, idq; non immeritò. Cum enim naturam aliquando non existendi habuerunt, tamen ad

suum

suum esse sunt revocati Verbi Dei presentia, consequens erat, ut ijdem illi evacuati cognitionis de Deo, & in non Entia averfi (mala enim non Entia dicenda sunt, bona autem entia, ut quae verum Deum autoremq; sui habeant) sempiterna quoq; illa essendi natura exuerentur, quod nihil est aliud, quam ut dissoluti, in morte & putrefactione permanerent. Hanc n. culpae pœnarumq; notitiam esse pręrequisitum etiam præcognitum incarnationis, certum est ex historiâ lapsus, & quia nisi peccasset Adamus, homo non esset factus Dei Filius, siquidem ubi nulla culpa, ibi nulla satisfactio, ubi nullum debitum, ibi nulla solutio, ubi nulla captivitas, ibi nulla redemptio, ubi nullus morbus, ibi neque medicus, neq; medicina requiritur.

7. (5) Deum humani generis, in peccatum, peccatiq; pœnas prolapsi, misertum esse, & redemptionem ejus aeterno decreto constituisse, redemptionis autem fundamentum nec in hominibus, nec in aliis creaturis, sed in solo Deo sapienter invenisse. Non enim, inquit Athanas. Orat. 3. contr. Arian. conveniebat per alium quempiam istam redemptionem fieri, sed per eum, qui natura Dominus erat, ne, tametsi per filium creati essemus, alium tamen nobis Dominum agnosceremus, lapsiq; in Arianorum, Gentiliumq; deliria creaturae potius, quam Deo, omnium creatori, cultum servitiumq; prestaremus. Nam nisi quis misericordiam Dei gratuitam & redemptionem, divinitus homini constitutam, præcognoverit, nihil in hoc incarnationis negotio fidei mente concipere poterit.

8. (6) Humanam nostram naturam neq; Patrem, neq; Spiritum S. sed Dei Verbum, Deiq; Filium assumere voluisse. Postulatum hoc itidem affert S. Athanas. r. i. de Incarn. Christi: Neq; Pater, neq; Spiritus S. carnem gestavit, ut impie Valentiniani discipuli calumniantur. sed Verbum caro factum est. Nec enim Pater poterat assumere carnem nostram, quia Pater nec Filius esse poterat, nec ab aliâ personâ vel mitti, vel promitti debebat. Neq; Spiritui S. conveniebat Incarnatio, quia Spiritus non erat Filius, nec ab aeterno genitus, ideo nec in tempore nasci personaliter eum conveniebat: Sed Filius, qui fuerat ab aeterno Dei Filius, in tempore filius hominis esse volebat: qui simul ab aeterno divinâ generatione genitus erat, in tempore humanâ nativitate nostram naturam assumere nascendo cupiebat.

Precipue, inquit B. Luth. de noviss. verb. David t. 3. Lat. Witt. p. 123. voluit Deus Filium suum patesceri, & à nobis agnosci in Scriptura & V. & N. T. In hunc filium omnia respiciunt. Propter hunc enim Messiam, seu propter hoc semen mulieris, omnis Scriptura tradita est, per quem videl. restituerentur, quæcumq; per serpentem destructa sunt, aboleretur peccatum, mors, placat à horribili irâ Dei, & nova justitia, vita, immortalitas & lætitia in aeterna consuetudine cum Deo restitueretur, adeoq; ut Paulus loquitur, fieret illud, ut omnia velut sub hoc unum caput conjuncta redigantur Col. I. Nam sicut primùm lapsus hominis precipue & proprie in Filium Dei offendit, & tamen eo ipso simul etiam adversus totam divinitatem peccatum est: Ita Deus in illo suo arcano consilio de liberatione humani generis hoc admirandum decretum fecit, ut peculiariter & solùm filius adsumeret humanam naturam, videl. ut per & propter eundem homini redderetur libertas & instauratio integritatis, de qua exciderat, contra quem lapsu suo initio impegerat. Ita tamen, ut hæc ipsa liberatio, seu instauratio hominis, facta per filium totius divinitatis, h. e. trium personarum commune opus fuisse intelligatur.

9. Huc etiam referimus illa διδούσκα, vel hypotheses, quas Venerandus Dn. D. Calov. disput. de Fide Vet. p. 5. seq. adducit, & clarissime pro nostra sententia, Fideq; Veterum exponit nim. (1) Satisfactionis Christi veritatem. (2) Revelationis óinovoiás redemptionis necessitatem. (3) Requisitam ad veram fidem Gratiæ Dei cognitionem. (4) Fidei in Christum ad salutem necessitatem. (5) Protevangelium Gen. III, 15. haberi. (6) Pactum Evangelicum ibi cum Proto-plastis initum esse. (7) Fidem promissionibus Evangelicis habendam requiri. (8) Cognitionis Messie, tam quoad personam, quàm quoad officium necessitatem, quæ omnia sufficientissime l. d. sunt exposita.

10. Conferimus etiam hypotheses, quas B. Lyserus in Trifol. d. 1. th. 13. producit (1) Breviora doctrine capita, à Mose in Scripturam relata, plenius in concionibus patriarchalibus explicata fuisse: quod probat à comparatis, nim. à Concionibus & actionibus Christi Act. I, 1. Job. XXI, 25. à convenienti, quia minus conveniens est, si quis statuere vellet, bis mille annorum spatio plura à Dd. non fuisse dicta, quàm quæ primis 12. capp. Geneseos continentur: ex ratione Testimonij, quia nihil aliud indicet illud, contendere Spiritus Dei

Dei cum homine Gen. VI, 3. quod in posterum hominibus denegatur  
deniq; ex ratione elogij, quia elogium, Noe assignatum, quando  
præco justitiæ II. Pet. II, 5. vocatur, nihil aliud requirit. Idem etiam  
B. Luther. comprobat super Gen. IV. Hic primum admonemur, pios  
parentes Adam & Hevam liberis sæpè ac multum concionatos esse de  
voluntate Dei & cultu Dei: siquidem ambo Deo offerunt. Sed inquis,  
quid, aut de qua re concionati sunt? Pulcherrima certè argumenta  
Sacrarum concionum habuerunt. Meminerunt primæ conditionis &  
paradisi, ac sine dubio liberis locum ab Angelis custoditum ostenderunt  
sæpe, ac monuerunt, ut à peccato caverent, per quod tot bonis spoliati  
& exuti essent. Contra ut in timore Dei viverent, ut ejus benigni-  
tate se consolarentur, tunc futurum, ut post hanc vitam meliorem in-  
veniant. Ac quis commoda omnia prioris vitæ enumeraret? Ad hæc  
accessit altera pars doctrinæ de promissione seminis, & futurâ libera-  
tione ex his calamitatibus. Hæc fortasse certo in loco, & præcipuè sab-  
batis diebus liberis suis Parentes piij deprecaverunt. Itaq; ad hostias  
& cultum Dei præstandum his concionibus excitati sunt.

II. (2) Posteriora, quæ in Scripturis revelata sunt, prioribus non  
sunt opponenda, sed utraq; conjungenda, & firma fide recipienda. Ra-  
tiones sunt manifestæ, quia diversitas temporis in revelationibus  
divinis, non facit in re ipsa diversitatem veritatis. Deinde certum  
est, quod una sit omnium temporum fides Eph. IV, 5. adeoq; priora  
posteriorum fundamenta, posteriorum priorum complementa censentur.  
Deniq; cum oppositio sit inter heterogenea: posteriora vero simul  
cum prioribus unum habeant autorem, unum respiciant objectum,  
unum finem, & in aliis non obscuram convenientiam habeant, nulla  
talis oppositio locum, inter prius & posteritas revelata jure potest in-  
venire.

II. (3) Obscuriora V. T. nobis in N. T. sunt clariora, illis verd,  
quibus primè revelata, non penitus fuerunt ignota. Sed obscuritas  
illa V. T. non est absoluta, sed comparatio, si scilicet in respectu lucis  
N. T. consideretur: interim tamen quæ obscuræ sunt, non penitus  
sunt nullæ. Habet igitur V. T. suam etiam, ibi debitam, claritatem,  
licet major in N. T. perspicuitatis lux fulgeat. Obscuritatem  
umbra, scribit B. Lyserus Col. 2, 17. Hebr. X, 1 agnoscimus, & lucem  
nobis concessam gratâ mente celebraus: sed tamen invidi non sumus,  
nes

nec omnium mysteriorum cognitionem Patribus denegamus: imò non possumus, neque debemus illis talem cognitionem denegare, quia Deus ipse voluit talia mysteria fidelibus V. T. revelare, & eosdem nobiscum in salvifica fidei unitate copulare. Hoc etiam negligendum non est, quod l. d. observat B. Lyserus: Revelatio vaticiniorum primorum duplex est statuenda; prior facta Patriarchis, quibus primitus ea sunt annunciata, posterior Mosi, cui à Spiritu S. ad scribendum dictata. Prior revelatio procul dubio pluribus verbis facta, & ita etiam ea, quæ revelata erant (& quidem sæpius, cum apparitiones divinæ tunc frequentes essent) plenius auditoribus à præconibus justitiæ explicata fuerunt: Posterior revelatio, quando eadem pars Scripturæ Canonica facta est, totum Pentatevchum cum Jobi libro, ut nos quidem putamus, complectitur, atq; ita à Spiritu S. ex pluribus & plenioribus revelationibus illa electa sunt, quæ scriberentur, quæ conjuncta cum reliquis à Mose consignatis, norma credendorum & agendorum ratione illius temporis esse possent.

13. (4) *Generalia Scripturæ effata ad omnes omnium temporum pertinentia, ad primos quoq; homines sunt accommodanda.* Sicut hoc urget *illimitata universalitas*, primorum hominum, ratione *unitatis fidei*, nobiscum *conformitas*, & *religiosa* in conservandis & propagandis fidei dogmatibus *fidelitas*.

14. Postremo supponimus & præmittimus etiam illud: *Nos simpliciter cogi non posse, ad nostri thematis probationem ex certis Geneseos capp. desumendam; nec adigi posse ad thematis nostri probationem καὶ τὸ πῦρ, rejectis omnibus consequentiis, instituendam, quod utrumq; contra Socinianos, & alios est observandum.* Quod igitur in universum de *substantialibus aliis fidei dogmatibus* affertur, non immeritò Nos ad *Incarnationis mysterium* applicamus, affirmantes *Mysterium Incarnationis primis fidelibus à Deo revelatum*, ex divina revelatione plane satis *cognitum*, & plena fide *creditum* esse, quod hactenus non tantum quod antenus innotuit, sed etiam ex *futura tractatione speciali* dilucidius apparebit. Nunc *preliminari labore* feliciter in Domino finito, devotissimo pectore, plenoque Spiritu solùm illud addimus

CHRISTO INCARNATO SIT GLORIA!



2  
173  
173  
n  
20  
us  
im  
&  
ri  
a  
do  
im  
à  
a  
on  
m  
  
im  
cut  
ni  
&  
  
Tos  
tis  
ha  
od  
gi  
ir  
ir  
m  
m  
m  
ni  
oe



05 A 475


ULB Halle 3  
004 209 192



V517 6h







IN NOMINE JESU!  
**MYSTERIUM**  
**INCARNATIONIS A**  
**FIDELIBUS IN VETERI TESTAMENTO**  
**COGNITUM ATQUE CREDITUM,**

*Quod*  
Disputatione Theologica assertum,  
P R Æ S I D E

*Viro Plurimum Reverendo, Amplissimo & Ex-*  
*cellentissimo*

**DN. JOHANNES** Deutschmann/  
SS. Theol. D. ejusdemq; Prof. P. celeberrimo,

Alumnorum Electoralium Ephoro, nec non Facult.  
Theol. pro tempore Decano,

*Domino, Praeceptore & Patrono suo, omni observan-*  
*tia cultu devenerando:*

*publicè*

A. d. 9. Febr. Anni M. DC. LXIV.

Respondendo tuebitur

**FLORIANUS CELICHIUS,**

Lubenâ Silesius.

WITEBERGÆ,

*Typis JOHANNIS BORCKARDI.*